

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Monachus ab cum fonte primo

Monachum cupientem ad scripturarum  
noticiam pertingere nequaquam  
deberet labores suos erga  
commentariorum libros impendere,  
sed omnem industriam mentis  
et intentionem cordis  
erga emendationem uiciorum carnalium  
detinere quibus expulsis cordis  
oculi sublato uelamine passionum  
scripturarum sacramenta

contemplantur.

Iohannes Cassianus in collationibus  
patrum.

Hic ergo quibusdam fratribus admirantibus  
tam praeclarum scientiae eius lumen et ab  
eodem quosdam scripturarum sensus  
inquirentibus ait,

monachum scripturarum  
notitiam pertingere cupientem nequaquam  
debere labores suos erga  
commentatorum libros impendere,  
sed potius omnem mentis industriam  
et intentionem cordis  
erga emundationem uitiorum carnalium  
detinere, quibus expulsis confestim cordis  
oculi sublato uelamine passionum  
sacramenta scripturarum  
naturaliter

contemplarentur,  
siquidem nobis non, ut essent incognita uel  
obscura, spiritus sancti gratia promulgata  
sint, sed nostro uitio uelamine peccatorum  
cordis oculos obnubente reddantur  
obscura: quibus rursus naturali redditis  
sanitati ipsa scripturarum sanctarum lectio  
ad contemplationem uerae scientiae  
abunde etiam sola sufficiat, nec eos  
commentatorum institutionibus indigere,  
sicut oculi isti carnales ad uidendum  
nullius egent doctrina, si modo fuerint a  
suffusione uel caligine caecitatis immunes.

Iohannes Cassianus, *De institutis  
coenobiorum*, 5, 34 (CSEL 17, M.  
Petschenig ed., p.107, ll.3-19).